

perinet, ita ut alii non Episcopi illa benedicere de Jure communi nequeant. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 27. n. 42. Engel. h. t. n. 9. Sylvester h. t. y. Benedicere. Roderiquez Tom. 1. q. 19. art. 1. & Communis aliorum. Idemque patet tum ex consuetudine, quae est optima Legum interpret, c. 8. de Consuetudine. Tum ex stylo Curiae dantis Abbatibus non Episcopis, & aliis Praelatis Regularibus privilegium praefata Paramenta benedicendi, quod frustra fieret, si Jure id posset.

50 Resp. II. Possunt Ordinis nostri Superiores Generales, Provinciales, Custodes, Guardiani, & in horum absentia Vicarii, alique substituti Superiores pro tempore existentes euncta in quaesito nu. praeced. proposita, omniaque alia Ornamenta, & Paramenta Ecclesiastica, & alia quaecunque ad cultum Divinum pertinentia, in quibus Christum non intervenit, pro usu Fratrum, Monialium, Tertiariorum, & Ecclesiarum eorundem solemniter benedicere, idque ex speciali privilegio per Leonem X. eidem concessio. quod refert Barbosa de Offic. & potest. Allegat. 27. num. 44. Roderiquez Tom. 1. q. Regular. q. 19. a. 2. Pellizar. Tom. 2. tr. 8. cap. 5. n. 106. Lezana y. Benedictio. n. 8. Miranda Tom. 2. q. 40. a. 1. & alii communiter, qui Conclusionem extendunt ad alios quoque Praelatos Regulares communicationem privilegiorum nobiscum habentes. Nec est circa hoc aliqua controversia de Benedictione Paramentorum &c. pro usu ipsorum tantum Religiosorum subditorum, & Ecclesiarum eorundem.

51 Sed difficultas est, an Superiores Regulares vi privilegiorum valeant benedicere Paramenta aliena, pro Ecclesiis secularibus v. g. Rationem dubitandi, & negativam tenendi facit; tum quia in praefato privilegio Leonis X. expressè cavetur, quod praecise pro usu Fratrum, & propriarum Ecclesiarum valeat: tum quia extant Declarationes Cardinalium in contrarium; quarum unam 13. Martii 1632. emanatam refert Lezana lo. cit. & Laurent. de Franch. in Controvers. inter Episcop. & Regul. p. 2. q. 28. numer. 3. quae sic sonat: Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Praelati, etiam ex Societate Jesu habentes privilegium benedicendi vestes sacras, Cameteria, & similia, dicto privilegio uti non possunt, nisi in his rebus, in quibus sacra Unctio non adhibetur. & pro servitio dumtaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum. Et propterea partem negativam sustinet Lezana lo. cit. Quo non obstante,

52 Resp. III. Possunt Superiores Regulares communicationem privilegiorum habentes, non tantum suarum, sed etiam aliarum Ecclesiarum quarumcunque Paramenta, Ornamenta, & alia ad Divinum cultum pertinentia, ubi unctio Christinatis non intervenit benedicere; non quidem vi privilegii Leonis X. sed Innocentii VIII. utpote qui concessit Prioribus Ordinis S. Hieronymi, & Vicariis, in absentia Prioris, & cuiuslibet habenti principale regimen cujuscunque Monasterii, posse benedicere Corporalia, Vestimenta, ceteraque Ornamenta Ecclesiastica ad cultum Divinum pertinentia tam sui Monasterii, quam etiam undecunque sint, ut in terminis refert Roderiq. Tom. 1. q. Regular. q. 19. a. 2. Pelliz. lo. cit. n. 108. Miranda Tom. 2. q. 40. a. 3. Laurent. de Franch. ubi supra, in quo Privilegio, quia communicat Ordo noster, ac perique alii, eodem gaudere poterunt; prout citati Doctores bene advertunt.

Nec obstant Declarationes Cardinalium citatae supra num. 51. quia illae plus non volunt, quam quod si Regularibus à Papa in genere datur privilegium benedicendi Paramenta Ecclesiastica, intelligendum solummodo sit de Paramentis Ecclesiarum Regularium; per quod non derogatur privilegio, quod benedicendi Paramenta etiam alienae Ecclesiae expressè conce-

ditur; cum enim Declarationes Cardinalium non faciant novam Legem, aut Jus novum, sed tantum ambiguum, aut obcurum magis declarent, hinc allegat Declarationes praefatum clarum & apertum privilegium benedicendi Paramenta non tantum Monasterii, sed & alia undecunque sint, expressè datum, nec afficiunt, nec immutant; prout patet à simili. Nam cum alias etiam universaliter, ac in genere declaravit S. Congregatio, quod Abbates etiam usum Mitrae & Baculi habentes, non possint benedicere ea, ubi Unctio intervenit, uti in Calice, Campana &c. interrogata à Procuratore Generali Congregationis Casinensis, an per hanc Declarationem derogatum sit specialibus privilegiis benedicendi Calices &c. expressè concessis, respondit negativè; prout ex Nald. y. Abb. n. 4. refert Pelliz. Tom. 1. tr. 8. cap. 5. n. 103. Ergo etiam ex eo, quod Declaratio dicat, privilegium Regularibus Paramenta benedicendi concessum intelligi tantum de Paramentis &c. Ecclesiarum propriarum, non derogatur privilegiis benedicendi etiam aliarum Ecclesiarum Paramenta expressè concessis; prout etiam bene advertit Laurent. de Franch. cit. p. 2. q. 28. n. 3.

Pariter non obstant alia Decreta S. Congregationis volentia, quod Praelati Regulares non nisi suarum Ecclesiarum Paramenta benedicere valeant; quia cum in his omnino non, aut solum privilegiis benedicendi Paramenta in genere concessis derogetur, nil obstat Conclusioni. Accedit praxis, & consuetudo plurimum Regularium Paramenta Ecclesiarum etiam alienarum passim benedicuntur; consuetudo autem est optima Legum interpret, c. 8. de Consuetud.

Dices, Capitulum Generale Mechlinense Ordinis nostri declarasse, quod privilegium benedicendi Paramenta nobis concessum, tantum intelligatur de Paramentis nostrarum, non item aliarum Ecclesiarum; rationem addit, sic enim (inquit) concessum fuit per summum Pontificem, puta Leonem X. ergo saltem Superiores nostri Ordinis non possunt benedicere aliena Paramenta. Resp. concessio Ant. negando Conseq. quia ex hoc solum habetur, quod id non possimus vi privilegii nobis à Leone X. concessi, uti patet ex sub-iuncta ratione; sic enim per Pontificem concessum est; non item, quod id non possimus vi privilegii, pro benedicendis alienis Paramentis expressè concessi, quo per communicationem gaudemus.

Inferitur, tunc pergere posse Superiores nostros in consuetudine ab antiquo jam hac usque in aliquibus, praesertim nostra Provincia, practicata benedicendi Paramenta omnia, etiam aliena, & alia, ubi unctio Christinatis non intervenit.

Resp. IV. Paramenta Ecclesiastica benedicta execrantur, seu Benedictionem amittunt, ita ut de novo benedici debeant, quando vel amittunt figuram priorem, in qua benedicta fuerint, aut quando ita notabiliter lacerantur, aut immutantur, ut reddantur inhabilia ad usum, ad quem fuerint destinata, Barbosa cit. Allegat. 27. num. 45. Sylvester y. Benedictio. nu. 6. Pelliz. ubi supra nu. 117. & Communis aliorum, arg. c. Quod in dubiis. 3. & c. 6. h. t. Hinc si ex Stola fiat Manipulus, vel ex Corporali Purificatorium, ex Casula Stola &c. debent de novo benedici, cum non habeant priorem formam, & quodvis Paramentum in sua forma, quae dat esse rei, habeat specialem Benedictionem. Doctores citati. Pariter si Alba perdat manicam, aut ita laceretur, ut non possit sacerdos ea uti, ad celebrandum v. g. nova Benedictione opus est. Non item, si successively lacerata, successively reficiantur, est petia aliqua nova affuantur; quia tunc Accessorium sequitur naturam principalis, c. 42. de Reg. Jur. in 6. & magis dignum trahit ad se minus dignum. Pariter non execrantur per lotionem, uti omnes fatentur.

Quaeritur V.

S. II. De Consecratione; & Executione Altaris: &c.

54 Quaeritur V. An ab Episcopo aliis committi, vel consuetudine acquiri possit potestas benedicendi Paramenta? Resp. ad utrumque negativè. Barbosa lo. cit. Allegat. 27. n. 42. Ugolin. de Postulat. Episc. cap. 32. n. 4. Possiv. de Offic. Curiae cap. 2. n. 37. ubi allegat super hoc responsum Congregationis SS. Rituum, & communis aliorum. Ratio est; quia praefata benedicere perinet ad potestatem O. din's Episcopalis, prout cum communi aliorum docet Roderiquez lo. cit. a. 1. citans Communem, Sylvester Benedictio. num. 3. ubi etiam de Communi testatur, & alii; cum in his benedicendis servetur forma, ab ipsa Ecclesia praescripta: quae autem sunt Ordinis Episcopalis, nec ab Episcopo aliis non Episcopis delegari possunt, c. Aqua. 9. h. t. nec consuetudine acquiri, per dicta nu. 34. Accedit consuetudo optima Legum interpret, c. 8. de Consuet. & L. 37. ff. de Legib.

55 Quaeritur VI. incidentaliter, quid Juris de tacta, lotione, & refectione Valorum, & Paramentorum sacrorum? Resp. I. Vasa sacra, v. g. Calicem, Patenam, Corporale, Ciborium &c. dum actu continent Corpus, & Sanguinem Jesu Christi, sine peccato mortali nemo praeter Sacerdotem vel Diaconum tangere potest. Layman. lib. 5. tr. 5. cap. 6. nu. 18. & alii, arg. can. Non oportet. 26. dist. 23. & can. In sancta h. t. 41. & Seq. de Consecrat. dist. 1. Si verò vacua sunt, aut Corpus Christi actu non continent (quod idem dicitur de aliis sacro Christinate unctis, ut Altari, Cereis, Agnis &c.) mortale non erit illa tangere, si scandalum abest, Layman lo. cit. n. 19. Sanchez lib. 2. cap. 43. n. 27. bene tamen veniale, si id absque legitima causa fiat; Communis, arg. cit. can. In sancta h. t. 41. & can. Vestimenta 42. de Consecrat. dist. 1. ubi universaliter statuitur, quod non ab aliis debeant contingi aut ferri, nisi si sacris hominibus, ne ultio, qua Balibatur Regem percussit, super hac transgredientes, & talia praesumptis veniat, & corrumpere eos faciat ad imā. Concordat cit. can. Non oportet. 26. & 30. & can. Non liceat. 31. dist. 23.

56 Resp. II. Alia Paramenta Ecclesiastica benedicta, quae Corpus Christi immediatè non contingunt, nec Christinate unctur, cum reverentia tangere, praesertim ex causa rationabili quivis potest, Layman lo. cit. n. 20. & alii. Ratio est consuetudo universaliter vigens, quae vel interpretatur Canones citatos, quod sint intelligendi de Paramentis positus in praecedenti Conclusionem, cum ipsa sit optima Legum interpret: vel eisdem derogavit quoad haec Paramenta, arg. c. ff. de Consuetud. Domi. odò non adhibeantur ad profanos usus, sed, si forsā ad usum non amplius sint habilia, igni tradantur, prout statuitur can. Altaris. 39. de Consecrat. dist. 1.

57 Resp. III. Paramenta Ecclesiastica, quae immediatè Corpus Christi contingunt, v. g. Corporale, Purificatorium, si lotionem, aut refectionem indigent, debent prius lavari à Presbytero, vel Diacono, in munda pelvi à hoc preparata, & aqualotionis in Sacramentum sancti, Sylvester y. Corporalia. Layman lo. cit. n. 19. cum Communi, textu claro, can. Nemo. 40. de Consecrat. dist. 1. Ratio ibidem subiungitur, ne forte Dominici Corporis pulvis male decidat. Dicitur notanter prius, quia postquam à Sacerdote, aut Diacono jam lota sunt, aliis etiam mulieribus praesertim sacris, id est, Monialibus ulterius, & exactis lavanda aut reficienda tradi bene possunt, eò quod juxta citatos, & alios Doctores, dictus Canon de prima lotionem intelligi debeat, teste consuetudine, quae est optima Legum interpret. Porro possunt Corporalia, & Purificatoria à Laicis personis sic lota cum reverentia tangi, donec demò ad Sacrificium applicentur. Item sicut fœmine Corporalia reficienda, ita Aurifabro Calices restaurandi tradi possunt.

58 Resp. IV. Paramenta Ecclesiastica benedicta, quae

Corpus Christi immediatè non tangunt, à quovis lavari, & refici possunt. Patet per dicta num. 36.

TITULUS XLI.

De Celebratione Missae, Sacramento Eucharistiae, & Divinis Officiis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Missae non nisi in locis sacris legi possunt.
- 3 Regulariter loquendo non potest Episcopus concedere, quòd Missae celebrentur in loco non sacro. Et n. seq. & n. 6.
- 5 Regulares vi privilegii non amplius possunt celebrare super Altari portatili in locis non sacris, aut non benedictis.
- 6 Revocata sunt privilegia Episcoporum, & regularium. Et n. seq.
- 8 Episcopus cohibere debet Regulares Missam in loco non sacro celebrantes: solvuntur Objectiones usque ad num. 12.
- 12 Urgente necessitate potest quivis in loco non sacro celebrare.
- 13 Quae sint tales necessitates?
- 14 Infirmus alicujus an talis sit? Et n. seq.
- 15 An possit Episcopus dispensatione concedere, ut in domo infirmi legatur Missa?
- 16 Ex dispensatione Pontificis possunt celebrari Missae in locis non sacris: & quomodo?
- 17 Formulae dispensationis soluae, & observandae circa eam. Ibid. Et n. seq.
- 18 Missam audiens in loco non sacro, non satisfacit praeccepto.
- 19 Regulares possunt habere Oratoria privata, ibique, & in cellis, ac cameris suis legere Missam. Et num. seq.
- 21 In Regularium Oratoriis, nec item in cellis, possunt etiam alii legere, & audire Missam.
- 22 Parochi Jure Divino tenentur applicare Missam pro Parochianis. Quoties? & quomodo? Ibid. Declarationes Cardinalium quomodo obligent? Ibid. Et n. seq.
- 24 Obligunt, etsi dicatur, eas non esse promulgatas, vel receptas. Et num. seq.
- 26 Parochi quando non teneantur Missam applicare pro Ovibus.
- 27 Reddunt pingues, & tenues, quinam? Et n. seq.
- 29 Parochi plurimi peccant, Missam pro Ovibus non applicantes.
- 30 Decretum Urbani VIII. circa Celebrationem Missae.

Palam est, Consecrationem Ecclesiarum, & Altarium eò principaliter dirigi, ut ibidem dignè celebrentur Missae, Sacramentum consociatur Eucharistiae, Laudeque Divinae ritè perfolvantur: recto pro ordine praecedentem praesens sequitur Titulus. Verùm quia tam de Celebratione Missarum, quam Eucharistiae Sacramento, & Horis Canonice (quae veniunt nomine Divinorum Officiorum) Theologi tam Morales, quam Scholastici passim & exactè tractant (quod idem etiam in Theologia nostra Morali Tr. 14. Dist. 4. & 5. item Tr. 6. Dist. 1. facere sumus conati) idèdè morem aliorum Canonistarum sequentes, paucis hunc Titulum expediemus, ponendo solum aliqua quaesita pro foro Canonico magis facientia circa Celebrationem Missae.

Quaeritur I. Ubinam, seu quo in loco Missae celebrari

brari possint, ac debeant præsertim, an in domibus secularibus, aut oratoriiis privatis celebrari valeant? Resp. I. Loquendo de Jure Communi, ordinarie non nisi in Ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima autoritate benedictis, & ad cultum Divinum deputatis, licite celebrari possunt Missæ. Communis ac certa, quod etiam in nostra Theologia Morali Tr. 14. Diss. 5. q. 10. num. 115. docuimus. Patet Conclusio manifestè ex can. 1. de Consecrat. diss. 1. ibi: *Missarum Celebrationes non alibi, quam in sacris Domino locis absque magna necessitate fieri debere, licet omnibus, can. Sicut. 11. de Consecrat. diss. 1. ibi: Nec in aliis, quam Domino sacris locis, id est, in tabernaculis, Divinis precibus à Pontificibus delibitis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa coegit necessitas, can. Missarum. 12. Concordat can. 14. can. 15. & can. 25. de Consecrat. diss. 1. & Concilium Tridentinum Sess. 22. in Decreto de Observandis in Celebratione Missæ, ibi: Neve partiantur (Episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda. & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi &c. Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. Confirmatur ex novissimo Decreto Clementis XI. infra n. 5. per extensum ponendo ubi etiam ratio statim ab initio habetur illis verbis: Quoniam sancta sanctè tractanda, ac præsertim tremendum incrementi Sacrificii Mystrum, quod omni Religionis cultu, ac reverentiâ est peragendum.*

3. Resp. II. Regulariter loquendo, Episcopus nec aliis facultatem celebrandi concedere, nec ipse legere potest Missam (extra Palatium suum) in domibus, aut aliis locis non consecratis, aut non benedictis, atque autoritate legitima ad cultum Divinum deputatis. Diana p. 9. tr. 1. de Orator. privat. Resol. 42. ubi plura Decreta & Declarationes asfert. Barbosa in Concil. Trident. Sess. 22. in Decreto de observ. & vitand. in Celebratione Missæ. Navarrus in Manual. cap. 25. nu. 81. Gutierrez lib. 1. Can. 99. cap. 30. num. 24. & seq. ubi etiam asfert Declarationem Cardinalium dicentem, quod Episcopi nequeant dare licentiam celebrandi in locis non consecratis, aut non benedictis, atque autoritate legitima ad Divinum cultum deputatis: de simili Declaratione etiam testatur, atque Conclusionem tenet Azorius p. 1. lib. 10. cap. 26. c. 3. & alii communiter. Probat Conclusio ex SS. Canonibus, & Concilio Tridentino supra num. 2. citatis, præsertim vero can. Sicut. 11. de Consecrat. diss. 1. ubi ad finem expressè dicitur: In domibus ac Episcopis, sive Presbyteris oblationes (Eucharistice videlicet) habet ibidem Glossa celebrari nullatenus licet. Ad quæ Jura Episcopus omnino tenetur, nec in iis secum ipso, aut cum aliis dispensare potest; cum nequeat inferior in Lege superioris dispensare, arg. Clem. Ne Romani. de Electione.

4. Nec obstat can. Missarum. de Consecrat. diss. 1. ibi: Missarum solemnitas non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel NB. ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus, ergo ipso permittente ubi vis licet; quod idem colligitur ex can. Hic ergo. eod. diss. 1. ibi: Nisi in locis, ubi proprius Episcopus jufferit. Resp. enim I. Hos Canones solum velle, posse celebrari in locis non consecratis, ubi Episcopus jufferit, aut permiserit, deputando nempe locum ad cultum Divinum, aut eundem saltem benedicendo, aut ob causam urgentis necessitatis, juxta dicenda infra num. 12. & seq. Non item, ubi ipse pro libito permiserit; cum in hoc sensu Canones isti manifestè contradicerent can. Sicut. 11. eod. diss. 1. quam contradictionem evitare pro possibili oportet, arg. a. Cum exp. dat. 29. de Electione. in 6. Resp. II. Dato non concessio, quod olim Jure antiquo

per citatum Canonem Missarum habuerint Episcopi liberam facultatem permittendi Celebrationem in quovis loco, prout nonnulli Canoniste volunt, tamen hæc facultas eisdem ablata est per Concilium Tridentinum cit. Sess. 22. in Decreto de observ. & vitand. &c. ita ut post Concilium solus Paps concedere possit licentiam celebrandi in domibus privatis, aut aliis locis non sacris, vel saltem ab Episcopo benedictis, aut autoritate legitima ad tolum cultum Divinum deputatis; prout testantibus Doctores citatis sæpius declaravit SS. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

Confirmatur prænd ex novissimo Decreto Pauli V. & Urbani VIII. (de quo testatur Diana lo. cit. Portel. in Respons. Regul. Tom. 1. p. 3. casu 20. n. 1. & alii) vi cuius adempta est Episcopi omnis potestas concedendi licentiam celebrandi in domibus aut locis non sacris. Nec amplius quidpiam facit pro Episcopi aliud Decretum dicti Pauli V. 1678. die 30. Julii editum, vi cuius Episcopi saltem ut Delegati Apostolici possant præfata licentiam concedere, si quævis conditiones observentur; videlicet I. Ut non nisi Nobilibus, senio, aut infirmitate impeditis, durante impedimento concedatur. II. Et eorum necessarius Ministris. III. Una tantum Missa in die. IV. Ut excipiantur Festa solemnia. V. Ut sit tantum in uno Oratorio unius domus, & solum ad sex annos concedatur. Nam hoc Decretum est revocatum, & quævis potestas concedendi licentiam celebrandi Missam Paps soli reservata fuit per subsequens Decretum Urbani VIII. ut citati DD. observant.

Confirmatur secundò, & penitus certa redditur Conclusio numer. 3. posita, ac responsio modò data, ex novissimo Decreto S. D. N. Clementis XI. Pape moderni sanctissime regnantis, cujus tenorem habes infra n. seq.

Resp. III. Quamvis olim ex specialibus privilegiis Pape, etiam in Corpore Juris clausis, FF. Prædicatores, & Minores, & per consequens etiam alii Regulares communicationem privilegiorum cum eis habentes, potuerint etiam sine licentia Episcopi in quovis etiam non consecrato, nec benedicto loco, atque aded in domibus privatis celebrare Missam super Altari portatili, ut manifestè patet ex c. In his. 30. de Privileg. & aliis privilegiis successivè concessis; atque plures Doctores, ut Brugnoti, Sannig. h. t. cap. 4. nu. 6. Diana p. 4. tr. 4. Miscel. Resol. 106. & alii, docuerunt, privilegium hoc non fuisse revocatum à Concilio Tridentino, eò quod reperitur in Corpore Juris clausum, tamen hodie certum ac indubitatum est, quod penitus nullus Regularis, quisquis ille sit, possit amplius celebrare in aliquo loco non consecrato, aut benedicto, vel saltem autoritate legitima ad cultum Divinum deputato, non obstante quocunque eorum privilegio ante Concilium Tridentinum concessio, etiam in Corpore Juris clauso, utpote per idem Concilium Tridentinum revocato. Hanc Conclusionem licet ante hæc jam multi tenerint Doctores, ut hodie tamen omnes tenere debent, ob novissimum Decretum S. D. N. Clementis XI. quod integrum hic apponere utile & necessarium duxi ad tollendam omnem controverfiam, & evitanda multa absurda, ac irreverentias circa Tremendum Missæ Sacrificium.

DECRETUM
CLEMENTIS XI.
De Celebratione in Oratoriiis privatis.

Quoniam sancta sanctè tractanda sunt, ac præsertim tremendum incrementi Sacrificii Mystrum, quod omni Religionis cultu, & Veneratione peragendum est; Propterea super observandis, & vitandis in celebratione Missarum in Sacrosanctis Occidentis Conciliis ac præsertim Tridentinis sub cap. unico Sess. 22. inter cætera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodo in Ecclesiis, aut Oratoriis Divino tantum Cultu dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur; Ac subinde Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium in istius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præfatorum sæpè sæpius per opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino nostro, quod nonnulli Episcopi, sub prætextu Privilegiorum, Capellis Episcopopalibus competentium, & complures Regulares, sub prætextu Privilegiorum, que ipis à Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi Privilegiorum dilationem, seu potius excessum, & abulum in nonnullis Diocesium, præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis Civitate, ea sibi licere putant, que permissa non sunt, quin imò prohibita: Sciquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena Diocesi, & extra Domum propria habitationis in privatis Laicorum domibus erigi factum Altare, ibique per unum, aut plures ex suis Capellanis vivificant Christi Hostiam immolare; Regulares vero in quibusdam Magnarum, seu altorum Nobilium Personarum privatis Oratoriis, que certis quandoque ex causis à S. Sede Apostolica concessi solent, celebrare audent, vel plures Missas quam in ipsis celebrare sit indultum vel absque præsentia Personarum, quorum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas & post meridem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diocesanas, aut etiam per Decreta Sacre Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut que in ipsismet Indultis Apostolicis exprimitur, quo minus in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non veretur, in Sanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendum Mystrum debitam, idem SS. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, in hærentio declarationibus aliis hæc de re editis, expressè declarat, Episcopis, & his Majoribus Prælati, etiam si Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegii clausi in Corpore Juris, neque alio quocunque titulo, ullo modo licere extra Domum propria habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diocesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Diocesi consensu adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriiis privatis, que per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacrorum, etiam si essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini

Nostri Jesu Christi, aliisque anni festis Solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in privatis Oratoriiis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, que in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; Atque illi etiam in casibus permittis celebrari nequeat post meridiem, demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus, Personas quasumque dictas Missas audientes nullatenus Ecclesie præcepto satisfacere; Quo verò ad Altare portatili iterum inherendo declarationibus supra dictis, censuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. in his de Privil. & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse, per idem Sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illi utantur, ac mandandum, prout præsertim Decreti tenore mandata Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad penas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto Sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi perimut ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, & servari mandat. Romæ hæc die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciatius Præf.
Jo. Dominicus Thomatus Episcopus Cyrenensis S. C. C. Secr.
Die 27. Mense Januarii 1704. Supra dictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Monte citatorio Curie Innocentianæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vassellum SS. D. N. P. pæ Curf.
Pro D. Mag. Curf. Thomas Orlandus Ap. Curf.
Romæ, Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ, M. DCCIV.

Ex hoc Decreto certum & manifestum est I. Quod nec ipsi Episcopi, nec Majores Prælati præsertim alicujus privilegii in Corpore Juris clausi consequenter nil amplius juyat can. Missarum. de Consecrat. diss. 1. & alii Canones forsitan alios Episcopis favorabiles (neque alio quocunque titulo possint extra domum propria habitationis (bene verò in hac à sensu contrario) in domibus Laicis etiam in propria Diocesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Diocesi consensu accesserit (ecce! Episcopus nec Episcopo, multo minus alteri v. g. Nobili potest concedere celebrandi Missam in domo Laici) Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere; id est, concedere, ut aliè legant: ita enim sonant verba Decreti, consequenter certa est Conclusio numer. 3. posita.

Certum est II. Quod à Concilio Tridentino Sess. 22. in Decreto de Observ. & vitand. omnia privilegia etiam in Corpore Juris clausa, in his de Privileg. clausa, Regularibus olim concessa, celebrandi ubi vis in Altari portatili, sint revocata, sicut totum & unicum adhuc quorundam fundamentum in privilegio, in Corpore Juris clauso, positum, gaudendi adhuc facultate præfata, sit sublatum, consequenter in nulla amplius domo, aut alio loco non consecrato, vel saltem benedicto, aut autoritate legitima ad cultum Divinum deputato celebrare valeant: nisi adit specialis concessio, aut novum privilegium Pape; sic enim expressè declaravit Paps in præfato Decreto, dum inherendo Declarationibus supra dictis, censuit, etiam

licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus, in c. Is his. de Privileg. & per aliquos summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi Altari portatili in eoque celebrandi in locis, in quibus degunt omnino revocatum esse per idem sacrum Concilium Tridentinum. Et hinc summa reverentia, & humillima subiectione erga Sedem Apostolicam his conformiter correctum volumus; quod Lib. I. Tit. 31. de Offic. Ordinar. n. 137. diximus.

8 Certum est III. Episcopos non tantum posse, sed & debere Regularibus omnibus prohibere & mandare, ne præfato privilegio amplius utantur: item posse & debere contra quoscunque (etiam exemptos) contravenientes Regulares procedere tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos, pœnasque à Concilio Tridentino Sess. 22. lo. cit. specificatas infligere, ita enim in memorato Decreto prope finem non tantum declaratur, sed ut fiat, mandat. Reliqua in Decreto contenta dabit considerata lectio.

9 Obijcies I. De legato num. 5. Decreto authenticè, & legitime non constare, consequenter per illud neminem obligari. Resp. vel maxime de eo legitime constare: enim verò pro autoritate & majori fide hujus Decreti Lectorem informare juvat quòd dictum Decretum per ipsam S. Congregationem transmissum sit ad Archi-Episcopum Salisburgensem, & ab hoc, ex Officio communicatum omnibus sub Archi-Episcopatu existentibus Rmis. Suffraganeis, ac in specie nostro Rmo. ac Cellissimo S. R. I. Principi, & Episcopo Frisingensi, de facto feliciter regnantis, unde allegatum Copiam habemus.

10 Obijcies II. Esi de eo authenticè constat, tamen Regulares ad id non obligari, quia sufficienter non videtur promulgatum. Resp. I. Dato non concessio, quòd omnino non fuisset promulgatum, tamen obligare, eò quòd potissimum in Cardinalium Declaratione Concilii Tridentini constat, cuiusmodi Declarationes promulgari non solent, sed etiam absque promulgatione obligant (dummodò aliunde de eis sufficiens constat) cum non faciant Legem novam, sed in sint Legi ab initio positæ, quæ jam est promulgata, ut diximus in Proœmio. §. 8. Resp. II. Omnino etiam sufficienter censeri debere promulgatam, ex eo, quòd non tantum Romæ in locis consuetis, sed etiam à Rmis. Ordinariis sit promulgata; ut constat ex iis, quæ de promulgatione supra Lib. I. Tit. 2. de Constit. §. 5. diximus: Quamvis haud dubiè melius foret, si Rmi. Ordinarii illud etiam Regularibus communicarent, & promulgarent, eisque virtute hujus Decreti mandarent, ne amplius in ulla domo sæcularium, vel privatis sæcularium Oratoriis non consecratis, nec benedictis celebrent, prout mandare revera tenentur, cum hoc Ordinariis in præfato Decreto Papa ipsemet præcipiat.

11 Obijcies III. Hoc Decretum nec ab Episcopis, nec ab aliis esse usu receptum, nec forsan recipiendum fore in futurum; ergo non obligat. Resp. I. Negando Ant. cum pluribus in locis ei conformiter procedatur. Resp. II. Non esse in potestate Rnorum. Ordinariorum, vel aliorum, Constitutiones ac Decreta Pontificia non recipere; cum omnes teneantur Legem justam accipere, ita ut sine justa causa eam non accipientes graviter peccent, & peccatum tam diu continent, donec debito tempore rationabilis & legitima in contrarium de novo inducatur consuetudo, prout hodie indubitatè constat ex Decreto Alexandri VII. contrariam doctrinam damnantis; & dictum est in Theologia nostra Morali Tr. 2. Diss. 1. q. 4. de Acceptatione Legum, qualis consuetudo post Decretum introducta, nec habetur, nec haberi potest, saltem de facto ob defectum temporis requisiti; cum Decretum novissimè sit emanatum, prout liquet ex dato. Accedit, quòd ut supra diximus, præfatum Decre-

tum potissimum consistat in Declaratione Concilii Tridentini, quod ipsa receptum est, hoc ipso recepta censetur Declaratio illius, utpote eidem insistentis, prout amplius dicitur infra.

Resp. III. Præfatis non obstantibus possunt non tantum Episcopi, sed etiam alii tam sæculares, quam Regulares Sacerdotes celebrare in locis non consecratis, nec benedictis casu quo magna urgeat necessitas, Layman lib. 5. tr. 5. nu. 3. Diana p. 9. tr. 1. de Oratorius privatis. Resolut. 43. Navarrus in Manual. cap. 25. n. 81. Azorius Tom. 1. lib. 18. cap. 26. q. 2. Sa. y. Missa. n. 20. & communis aliorum, arg. c. 1. de Consecrat. dist. 1. ibi: Missarum Celebrationes non alibi, quam in sacris Domino locis NB. absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus; ergo urgente magna necessitate licebit. Idem habetur can. Sicut. 11. de Consecrat. dist. 1. ibi: Non in aliis, quam in Domino sacris locis Missas offerre licet, nisi summa cogentis necessitas. Ratio ibidem subiungitur: Quoniam necessitas legem non habet; & quod non est licitum in Legge, necessitas facit licitum, c. Quod non. de R. J. Hinc etiam summa necessitatis non comprehendit Concilium Tridentinum Sess. 22. lo. cit. nec Declarationes ejusdem, prout ob rationem dictam communiter tenent Doctores.

13 Infertur proin, quòd tempore pestis, belli, persecutionum &c. ubi absque periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacris locis celebrari nequit, Sacrificium Missæ etiam in locis ac domibus privatis offerri licitè possit; prout etiam teste Baronio ad Annum Christi 303. num. 39. eo tempore in domibus privatis, quæ & in carceribus, Sacerdotes Missam celebrabant, Rursus magna necessitas adesse censetur ad hoc, ut in loco non sacro, vel benedicto celebrari valeant Missæ in Altari portatili, si duræ, aut combuste sint Ecclesiæ, can. Concedimus. 30. de Consecrat. dist. 1. Item in maximo concursu populi, quem facit locus non capit; in bello pro exercitiu; in longa peregrinatione per loca infidelium; Layman lo. cit. Gutierrez Can. 44. lib. 1. cap. 30. nu. 25. Navarrus in Manual. cap. 25. n. 81. Sa. y. Missa. n. 20. cum Comuni aliorum, in super fatentium, in his casibus etiam absque licentia Episcopi licet, ipsa id Jure vel expressè, vel per Episcopum permittente, teste consuetudine ipsam vigente, quæ est optima Legum interpretis, c. 8. de Consuetud. & L. 37. ff. de Legib. Quamvis decens sit, ut ubi Episcopus præsens est, aut faciliè adiri potest, ejus licentia petatur, ut etiam notant præfati Doctores.

14 Num autem diuturna alicujus infirmitas inter casus magnæ necessitatis ad præsens numeranda sit, ut saltem accedente concessione, ac dispensatione Episcopi, in domo, vel camera cæteroquin honesta super Altari portatili, pro consolatione infirmi celebrari valeat Missa, difficultas major est. Et quidem, quòd absque licentia Episcopi id fieri nequeat, conveniunt DD. cum à nullo infirmitas hujusmodi numeretur inter magnas necessitates: nec enim hanc causam consolatio infirmi: cum in Jure can. Sicut. 11. de Consecrat. dist. 1. expressè dicatur: Satis est non audire Missam, quam in illis locis, ubi fieri non oportet. Nec obstat, quòd quidam Regulares id hoc usque præcæderint, quia id non fecerunt, quasi verò talis infirmitas sufficientem de Jure communi præberet necessitatis causam, sed quia in opinione erant, privilegium eorum in Corpore Juris clausum ubique celebrandi non esse revocatum; quæ tamen opinio modò penitus est reprobata per novissimum Decretum num. 5. allegatum.

15 Quoad Rmos. Ordinarios argumenta pro & contra militant: contra sunt dicta supra à num. 2. & præfatum Decretum num. 5. allegatum, ubi indistinctè habetur, quòd Episcopi nec ipsi in domibus laicis legere,

legere, nec alii legendi licentiam concedere valeant. Concordat etiam Decretum Urbani VIII. citatum n. 4. Pro Episcopis facit, quòd ipsi possint Jure Ordinario in casibus frequenter occurrentibus, in quibus tam eidè fieri non potest recursum ad Pontificem: item toties, quoties eorum est, an casus indigeat dispensatione. Rursus quando legitime præscriptam consuetudinem dispensandi habent, prout amplius dictum est Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 18. de Dispensat. Leg. à numer. 470. Talem autem consuetudinem à Rmis. præscriptam passim vigere videmus saltem in his partibus, cui in Decreto novissimo derogatum esse, clarè non apparet, ut proin licet ordinariè seu regularitèr, uti diximus in Conclusionè num. 3. seu ad libitum non valeant Episcopi concedere licentiam celebrandi in loco non sacro: possint tamen pro consolatione Nobilis infirmi, aut simili rationabili causa, præsertim juvante consuetudine legitime præscripta dispensare, ac dispensando concedere dictam licentiam. Et hoc tanquam probabile non immeritò cum aliis censet Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 41. Hurtado Disp. q. de Sacrificio Missæ diffult. 6. Verùm circa hoc potest recentissimum Decretum num. 5. positum, decidere nil audeo, sed judio prudantium, & præcipuè S. Congregationis relinquo; quamvis in Theologia nostra Morali ante Decretum edita Tr. 14. Diss. 5. nu. 118. & Lib. 1. Tit. 31. de Offic. Ordinar. nu. 136. pro Rmis. Ordinariis inferimus.

16 Resp. IV. Insuper possunt celebrari Missæ in loco nec consecrato, nec benedicto, ut in Oratorio domus privatæ v. g. si quis speciale ad hoc habeat privilegium à summo Pontifice post Concilium Tridentinum concessum. Omnes. Ratio est; quia P. pa. secundam plenitudinem potestatis de Jure potest supra Jus humanum dispensare, ut dicitur c. 4. de Consecr. Prob. & amplius dictum est Lib. 1. Tit. 2. §. 18. n. 458. Et quidem p. Oratoriis privatis ordinariè sequenti dispensandi Formula Pontifex utitur: Tibi, qui uti asseris, de nobis genere procreatus existis ut in privato domicilio tuo N. Oratorio ad hoc deceter muro extructis & ornato seu extruendo, ac ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, & approbando ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura unam Missam unoquoque die dummodò in eadem modo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque Sacerdotem ab Ordinario approbaturum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quocunque jure Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis D.N. ac aliis solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in tua ac familia tua, nec non hospitium tuorum Nobilium præsentis celebrari fasere liberè, & licitè possis & valeas Apostolicâ auctoritate præsentium concedimus, ac indulgemus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut familiares servitius tuis non necessarij præter supra dictos ibidem Missæ interfentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censentur.

17 Circa quam Formulam notandum, quòd preces debeant nisi veritate, & licentia non nisi juxta tenorem verborum valeat. Hinc si quis de Nobili genere procreatus revera non est, gaudere non potest tali concessione. Deinde eadem gaudere quis nequit, donec prius à Rmo. Ep. Copio Oratorium visitatum, & approbatum sit, quòd desiderata concessio habeat. Rursus non nisi unica Missa in die celebrari potest, quòd demò inculcat novissimum Decretum n. 5. positum. simulque celebratus injungit, ut prius de hoc diligenter inquirent, & optime se informant. Ubi etiam idem, quod in Formula præscribitur, præcipitur, ne videlicet celebretur in diebus Paschatis S. Re-

surrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, alisque anni Festis solemnioribus; qualia secundum Communem censentur potissimè esse Festum Ascensionis, Assumptionis B. V. Mariæ, Annuntiationis, & Festum Omnium Sanctorum.

18 Denique notandum, quòd in loco non sacro audientes Missam non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, si, ubi possunt, aliam Missam non audiant, etiam si audiant in loco, in quo de licentia speciali Summi Pontificis juxta Formulam num. 16. positam, in Oratorio vel Capella privata v. g. Missa legi licitè potest; prout colligitur ex verbis citatæ Formulæ, ibi: Volumus autem &c. Quam clausulam licet olim variè interpretari sint conati Doctores, ita ut communis evaserit opinio (uti videre est apud Sporer in 3. Præcept. Decalog. cap. 4. sect. 1.) quamvis ipse contra minus verius putet, quemvis satisfacere præcepto Ecclesiæ, si audiat Missam, quocunque tandem in loco audiat, cum, ut ajant, nullibi reperitur præceptum audiendi Missam in loco sacro, aut benedicto. Tamen hodie res rursus controversa caret, ob sæpè citatum Decretum num. 5. positum, ubi de audientibus Missam, quæ de licentia speciali Pontificis in hujusmodi privatis Oratoriis, aut Capellis legitur, expressè demandat, atque declarat Pontifex, Personas quoscunque, dictas Missas audientes, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere: ubi specialiter notanda verba Personas quoscunque, & nullatenus; per hæc enim omnis Doctorum conatus clausulam Formulæ num. 16. citatæ pro audientibus explicandi irritus apparet, ita ut non amplius valeat opinio Tamburini cap. 3. n. 8. de Præcept. Eccl. tr. 1. docentis, exteras quidem, non item familiares personas habentes Oratorium satisfacere: Dicitur enim in Decreto Quoscunque personas: Nec opinio Pellizzarii Tom. 1. tr. 8. cap. 2. n. 151. volentis, illam clausulam tantum velle, quòd quis non satisfaciatur præcepto audiendi Missam juxta antiquam formam in propria Parochia audienti, dicitur enim in Decreto novo nullatenus, id est, nullo modo, nullave ratione satisfacere. Et certè qui etiam de his verbis Decreti adhuc dubitaret, nodum in se ipso iniquè quæreret, & textum contra mentem Legislatoris inusper torquere videretur. Hinc caute legendi, & non amplius sequendi sunt Doctores contrarium docentes.

19 Resp. V. Regulares, non obstantibus hæcenus allegatis Decretis, possunt adhuc hodie vi privilegiorum, in propriis Monasteriis habere privata Oratoria, & Capellas domesticas, ibique (imò etiam in Cameris ac Cellis suis, ubi infirmus decumbit Frater) Missam celebrare. Diana p. 9. tr. 1. Resolut. 32. Lezana in Summa Tom. 1. cap. 21. n. 14. Sporer in Theolog. Sacrament. p. 2. cap. 6. n. 440. Azorius Tom. 1. lib. 10. cap. 26. q. 9. Pelliz. Tom. 2. tr. 8. cap. 5. nu. 65. & alii communiter. Ratio est; quia quoad hæc loca non sunt revocata Religiosorum privilegia per Concilium Tridentinum Sess. 22. in Decret. de Observand. & evitand. utpote ubi tantum videntur revocata privilegia celebrandi Missam in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam. Cujusmodi loca non sunt Oratoria, vel etiam Camere, aut Cellæ Monasteriorum; Monasteria enim nec sunt domus privatæ, nec omnino extra Ecclesiam, cum nomine Ecclesiæ etiam veniant Religiosorum claustra, arg. can. Abbati. 22. §. Quod autem, dist. 54. & c. Alma mater. 24. §. Adjicimus. de Sentent. excom. in 6. & ibi Glossa y. Monasteriis, ubi dicit: nomine Ecclesiarum intelliguntur Monasteria.

20 Accedit, quòd, etsi dato non concessio, per Concilium Tridentinum revocata fuissent Regularium privilegia ante dictum Concilium concessa habendi in Monasteriis Oratoria privata, ibique celebrandi, tamen idem competeret Regularibus vi privilegiorum concessorum post Concilium Tridentinum. Cujusmodi privilegium Gregorius XIII. Societati Jesu, & virtute

virtute communicationis privilegiorum etiam aliis Regularibus concessit illis verbis: *Voluntus, ut in Oratoriis, & Capellis, quæ Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad Divinum duntaxat cultum deputaverint, Missæ & alia Divina Officia aliter licenti minime requisita, celebrari possint, quod privilegium allegat Pellizzarius Tom. 2. tr. 8. cap. 5. n. 65. Diana lo. cit. Resolut. 32. Lezana Tom. 1. cap. 21. n. 14. Roderiquez Tom. 1. q. 43. a. 4. & alii communiter. Simile, quin & majus privilegium post præfatum Concilium 1567. concessit Pius IV. vi. cuius Canonici Regulares, & alii communicatione gaudentes in cellis cameris, aut aliis Monasterii locis possunt super Alari portatili Missam legere, ut eam infirmi ibidem audire valeant, ac Eucharistiam pro devotione acciperent, ut videtur est apud Dianam cit. p. 9. tr. 1. Resolut. 34. Lezanam Tom. 3. v. Altare. n. 15. & 16. Peirin. Tom. 1. privileg. Minim. in Constitut. Pyrri. nu. 34. & alii. Nec quidquam derogatur his privilegiis per novissimum Decretum num. 5. positum, utpote quod solum declarat, & decernit, quæ privilegia à Concilio Tridentino Sess. 22. de Decret. de Observ. & vitand. sint revocata, nec afficit privilegia post Concilium concessa, hoc ipso, quod ibidem hæc valida supponens explicet, quomodo aliqua hujusmodi privilegia post Concilium concessa sint intelligenda; ut legenti patet.*

21 Illud tamen hic notandum, quod quamvis in Oratoriis, & Capellis Monasteriorum privatis, si à Superioribus benedicuntur, atque ad Divinum duntaxat cultum deputantur, (prout id facere possunt non tantum vi privilegii concessi à Gregorio XIII. sed & vel maxime ac amplius vi privilegii concessi à Leone X. juxta dicta supra, & docet cum aliis Pellizzarius Tom. 2. tr. 8. cap. 5. n. 67. quod privilegium nullibi reperitur revocatum) possint etiam alii Sacerdotes sæculares legere, & Laici audire Missam, atque satisfacere præcepto Ecclesiæ; non item in Camera, aut cel. a privata alicujus Religiosi, eod quod illa, non item ista loca sufficienter censentur sacra, hoc ipso, quod dicta Oratoria, non item Celæ à Superiore sint benedictæ, & ad Divinum duntaxat cultum deputatæ; prout communiter observant Doctores.

22 Quæritur II. An, quoties, & quo Jure Parochi teneantur applicare Missam pro suis Parochianis, ita ut ad aliam intentionem, vel pro stipendio Missam votivam v. g. celebrare nequeant? Ante responsum notandum, olim non modicum circa præfens quæsitum fuisse controversiam inter Doctores, alius ut Layman lib. 5. tr. 5. cap. 3. n. 3. Herinx Disp. 7. de Missa. Sannig Disp. 5. q. 8. n. 3. Navar. & Suarez, dicentibus, Parochum vi Officii nunquam teneri Missam pro Parochianis applicare, sed satisfacere muneri suo, si Missam iis saltem diebus, quibus populus audire tenetur, legat, etiam si pro alia intentione, aut pro stipendio accepto eam applicet. Alii vero cum Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 24. n. 23. ad finem, & in Concilio Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 1. n. 4. item de Offic. & potest. Paroch. p. 1. cap. 11. n. 10. dicentibus, Parochos teneri aliquoties juxta boni viri arbitrium pro Parochianis Missam applicare. Verum hodie controversiæ hujus finem imposuerunt repetitæ Declarationes Cardinalium, uti statim patebit sequentibus Conclusionibus. Resp. Omnes & singuli Parochi Jure Divino tenentur applicare Sacrificium Missæ pro ipsis Parochianis hac cum distinctione, quod illi, qui habent pingues redditus, quotidia; illi vero, qui tenues habent redditus saltem Festivis eam pro Parochianis applicare teneantur, ita ut pro se, aut aliis, multo minus pro stipendio illam applicare non valeant. Probatur Conclusio ex Concilio Tridentino Sess. 23. de Reform. cap. 1. ubi Conclusionem quasi supponens dicit: *Cum præcepto Divi-*

no mandatum sit omnibus, quibus Cura animarum commissa est, Oves suas agnoscere. N.B. pro his Sacrificium offerre &c. Ex quibus verbis licet clarum sit, Curatos Jure Divino teneri applicare Missæ Sacrificium pro Oribus sibi commissis; cum textus non dicat Curatos teneri coram illis, scilicet, ut audiant, sed pro illis offerre, id est, applicare; tamen dubium remanet quoties teneantur Curati Missam pro suis Oribus offerre, seu applicare; hinc ex diversis locis S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum aliquoties circa hoc dubium consultata & interrogata, semper respondit, ac declaravit, quod dicit Conclusio. Inter plures unanimes successu temporis datas hujusmodi Declarationes, quas ex Typographia Cameræ Apostolicæ accepi, unam hic subjungo.

DECRETUM

Sac. Congregationis.

Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit, pro Oribus suis Sacrificium offerre, sæpe aliàs Sac. Congregatio censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem Festivis diebus. Idem nunc censet &c. Romæ &c.

Ob hanc igitur, & consimiles repetitas Declarationes Conclusio planè certa, & extra controversiam est, cum uti Tom. 1. in Proœmio. §. 8. à n. 129. dictum est, & fuse demonstrat Fagnanus in c. Quoniam. n. 6. & seqq. de Constit. Declarationes Cardinalium habeant vim in utroque foro obligandi.

Objicies vulgares objectiones I. Hæ Declarationes non sunt promulgatæ; ergo non obligant; cum nulla Lex obliget, nisi promulgetur juxta dicta Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 5. Resp. Transmissio Ant. negando Conf. quia juxta dicta in Proœmio. lo. cit. §. 8. n. 32. & seq. Declarationes Cardinalium: quæ Jus novum, aut Legem novam non faciunt, nec continent, sed priorem Legem jam latam & promulgatam præcisè declarant; qualis est præfens, utpote nullum Jus novum condens, sed antiquum videlicet Concil. Trident. seu pot. us Jus Divinum à Concilio allegatum, præcisè ac simpliciter declarans, & quomodo intelligi debeat, interpretans, promulgari non solent, sed absque nulla promulgatione obligant; dummodo sufficienter de eis constet.

Objicies II. Saltem de eis legitime, & in forma authentica non constat; ergo saltem ex hoc capite non obligant: cum juxta dicta in cit. Proœmio. num. 126. Declarationes fidem non faciant, nisi afferantur in forma authentica, solito sigillo, & debita subscriptione munitæ. Resp. Transmissio Ant. negando Conseq. Quamvis enim contra eas in foro externo, in- & extra Judicium excipere quis valeat, donec afferantur in forma authentica, sigillo, & subscriptione debita munitæ? nihilo minus urgent in foro conscientie, si ex probatis Col. latoribus, aut locis fideliter allegentur, cum sic certitudinem sufficientem, vel saltem dubium præcticum causent, indeque quemvis obligent, ut, si eis fidem adhibere non vult, de genuinâ veritate (quam Româ illicò habere poterit) dubitè inquirat; hoc ipso, quod stante dubio præctico nemo licitè operari valeat juxta certam Theologorum. Hinc benè infert Fagnanus in cit. c. Quoniam de Constit. numer. 59. à temeritate, & irriverentiâ vix abesse, si quis Declarationi ex probatis Doctores, aut locis fideliter allegatæ, & de cujus veritate nulla alia

alia probabilis ratio dubitandi subest, ex eo duntaxat capite non respicere, quod in forma authentica non afferatur. Addit insuper ibidem Fagnanus, rectè facere Judicem, si hujusmodi Declarationem in probato Authore repertam, ut veram habeat, & sequatur, etiam si à partibus nec allegetur, nec producat. Quapropter, quia talis etiam est Declaratio supra posita, utpote quam unâ cum pluribus aliis idem sonantibus Româ ex Typographia Apostolica acquisivi, ac de cujus veridica existentia, probabilis dubitandi ratio non adest, sidem in conscientia se illicò accommodare, aut saltem genuinam veritatem Romæ inslagare tenebitur, qui eam legit, vel de ea aliunde sufficientem notitiam habet.

25 Objicies III. Dictam Declarationem non esse usu receptam, vel saltem contrariâ consuetudine abrogatam; ergo. Resp. Negando Ant. quoad primum membrum; quia hoc ipso, quod Lex sit recepta, ejusdem etiam Declaratio censetur recepta, cum hæc non faciat novam Legem, sed insit ipsi Legi ab initio posite, juxta dicta in Proœmio. num. 32. ut prout non possit non recipi, si Lex ipsa recipitur, vel est recepta; nisi quis velit potestatem & auctoritatem declarandi negare, quod nefas foret. Hinc, quia ad propositum Lex ipsa, Concilium Tridentinum nempe, est recepta, ejusdem etiam Declarationes legitime, utpote eidem ab initio inexistentes, necessario debent recipi, ac censetur receptæ. Pariter negatur secundum membrum Ant. si enim ipsa Lex per consuetudinem non est abrogata, neque Declaratio illius, utpote eidem inexistentes erit abrogata: quod autem Lex ipsa præcipiens Curatis, ut Missas pro Oribus concessis applicant, per consuetudinem non sit abrogata, certum est; quia est Lex Divina, uti aperte constat ex Concilio Tridentino cit. Sess. 23. de Reform. cap. 1. ibi: *Cum præcepto Divina N.E. mandatum sit*: quod Divinum Mandatum à Concilio Tridentino allegatum S. Congregatio, prout potest à Pontifice sibi attributa potest, tantum explicat, ac declarat, contra quam Legem Divinam prorsus nihil valet consuetudo c. fin. de Consuetud. & dictum est amplius Lib. 1. Tit. 4. de Consuetud. §. 2. Consequenter nec contra legitimam Declarationem ejusdem, utpote, quæ Legi Divinæ inest, nec quidquam diversum, aut distinctum ab ea constituit. Ex quo eodem fundamentum etiam prorsus nihil valet dicere Declarationem dictæ Legi Divinæ à Concilio Tridentino allegatæ existentem, non esse promulgatam, aut non esse receptam.

26 Illud tamen notandum, quod si Parochus ex Officio, vel aliâ obligatione Parochiæ inseparabiliter inherente, ad aliam intentionem applicare debet Missam, ut si v. g. in die Depositionis, Septimi, aut Trigesimi, aut in Anniversario fundato, aut in Beneficio Parochiæ incorporato Missam pro certis particulari legat, Missam refarcire non teneatur, hoc ipso, quod Missam pro die illa ad aliam intentionem legere ex Officio possit ac debeat, & duas Missas eadem die celebrare nec teneatur, nec valeat.

27 Sed quæres, quandonam redditus sint, & dici possint pingues, quando tenues? Resp. I. Quando Parochus ex redditibus Parochiæ honestam suam sustentationem vel omnino non, vel saltem non nisi ægrè, aut valdè difficiliter habere potest, tenues redditus habere censendus est, consequenter non nisi diebus Dominicis, ac Festivis Missam pro Oribus applicare tenetur, cæteris vero diebus elemosynam ac stipendium pro Missis v. g. votivis acceptare potest, ut habet Declaratio supra num. 22. allegata; & meritò; cum enim Jus Divinum Parochi honestam sustentationem minime denegare intendat, S. Congregatio meritò declarat, quod dictum Jus Divinum applicationem pro Oribus præcipiens non prohibeat, quin

Parochus, qui ex redditibus Parochiæ sufficientem sustentationem non habet, eam aliunde licitis modis ut alius Presbyter, quærere valeat.

Resp. II. Quando redditus tales ac tanti sunt, ut ex 28 iis Parochus honestam suam sustentationem consideratis considerandis absque difficultate sufficientissimè habeat, etiam si non multum, sed parum, vel nihil superflui remaneat, pingues habere redditus, consequenter ad Missam quotidie pro Oribus applicandam obligatus censetur. Patet ex ipsa Declaratione, utpote quæ non abundantes redditus, sed tantum pingues requirit, ad hoc, ut Parochus teneatur quotidie Missam applicare pro Oribus. Pingues autem redditus reverà habere censetur non tantum ille, qui abundat, sed etiam ille, qui consideratis omnibus considerandis sufficientissimè habet, & cui pro honesta sustentatione penitus nihil deest. Ratio est; quia Parochi vi Officii pastoralis ex Jure Divino tenentur pro Oribus offerre Sacrificium juxta Concilium Tridentinum Sess. 23. de Reform. cap. 1. & quidem quotidie juxta Declarationem Cardinalium, nisi tenues, id est, ad honestam sustentationem insufficientes habeant redditus, in quo casu Jus Divinum permittit, ut etiam aliis mediis licitis, v. g. stipendio, aut elemosyna pro Missis votivis sustentationem honestam quærere valeant; ergo, si redditus non tenues & insufficientes, sed sufficientissimi sunt pro honesta sustentatione, obligatio Officii ex Jure Divino proveniens manet; præsertim cum cesset ratio, defectus nempe honestæ sustentationis, ob quam solam à quotidiana applicatione Sacrificii Parochum immunem facit Jus Divinum.

Infertur, illos Parochos, qui non tantum sufficientissimos, sed etiam abundantes redditus habent, ita ut singulis annis quinquaginta v. g. centum, vel plures floreni superflui eis remaneant, graviter delinquere, atque munerì, & officio suo minime satisfacere, nec securos in conscientia esse, si quotidie Missam pro Parochianis non applicantes ad aliam intentionem celebrant, Missisque Votivas, & stipendium pro ipsis recipient. Nec dicas, debere etiam pingues Parochos satisfacere Parochianis Missas Votivas subint. pro stipendio petentibus. Nam contra est; quia his aliâ viâ facillimè satisfacere queant, si nempe eos ad Capellanos, vel alios pauperes Sacerdotes sive sæculares, sive Regulares ablegent, dicantque Parochiano; Dilecte fili, ut Dilecte filia! ego aliàs jam vi Officii mei debeo pro te, & aliis Parochianis quotidie Missam legere, & applicare; & ideo non possum stipendium pro Missa ad tuam solam intentionem applicandam accipere; vade igitur ad hunc-hos, vel illos, qui illcò & prompto animo tibi gratificabunt.

Reliqua de Celebratione Missæ collige apud Theologos, qui copiosè de ea scribunt: vide etiam dicenda de hac materia notanter Lib. V. Decret. Tit. III. §. X. n. 210. & seqq. ubi invenies, quidnam novi AA. desuper sentiant.

Et quoniam varæ difficultates & controversiæ circa Missæ celebrationem olim agitate modo sublatae sunt ab Urbano VIII. per speciale Decretum, & Declarationes ad dubia super eodem Decreto proposita factas, hinc pro utroque foro utile duxi, illud hæc apponere. Et habetur etiam hoc Decretum in Bulario Cherub. Tom. 4. Constitut. 45. dicti Pontificis, quæ incipit, *Cum sæpe contingat*, cujus tempor est sequens.

Cum sæpe contingat, in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis desuntionibus relictiis, aut piorum elemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant pietè Testantium voluntates,

tates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum anime suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahuntur: cumque his malis maximum inter cetera fontem præbeat, aut quod iis, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciores numerum à Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento; aut quod elemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut sit non facile inveniatur, qui velit huic se muneris subijcere, & redditus Ecclesie, aut Monasterii adeo exiguis ut Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellantur: S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitie maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc deterrimum abusum à Christiana Republica convellere, ac eradicare: S. D. N. Urbani divinâ providentiâ PP. VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infra scripta Decreta edidit.

Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliis quovomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, que re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

2. Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatibus celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferantur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac aliis piis locis quibuscumque tam secularibus, quam regularibus, Sac. Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat, ac precipit ut absolute tot Missis celebrentur, quot ad rationem attributa elemosynæ prescripta fuerint, ita ut alioquin ita, ad quos pertinet, sue obligationi non satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

3. Id verò ut deinceps observetur exactius Sac. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus, quam regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

4. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

5. Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par esse adimplendis et repidiore, ac signiores reddantur, quod onera hujusmodi, cum nulla aut parva utilitate sint conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecunie, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam secularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, sub pena Interdicti ab ingressu Ecclesie ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes eadem sacram, vel perso-

nam sile & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis amovendum reperitur.

6. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pena, ut supra deponi, atque in aliis bonis stabilibus eidem fructiferis cum eisdem oneris repetitione, atque amovectione converti debeant.

7. Ad hæc Sac. Congregatio, quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam secularium, quam regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne impostarum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, seculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Regularis, vel Provincialis consensu, & licentia in seipis; & gratis concedenda; alioquin secularis, qui hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu Ecclesie interdictus sit eo ipso: Regularis verò penam privationis omnium officiorum, que tunc obtinebat, ac perpetua inhabilitatis ad alia de tero obtinenda, vocis ac passivæ absque alia declaratione incurrat.

8. Elemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum idem accipere possunt, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi elemosynis, etiam sponte oblati in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptioe illa, Elemosyna pro Missis, vel alia similibus sub istâ dem penâ ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

9. Episcopi verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, aut Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesie, Monasterio, aut loco pro incumbendis, nec aut eâ assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitime consiterit illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis, satisfacere possint: præcipiamque rationem habeant, ut redditis, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur; omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis vel Provincie, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Sequuntur Dubia, ac Declarationes aliquot Sac. Congregationis Concilii S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis ejusdem Congregationis de Celebratione Missarum.

Super primo Sacre Congregationis Decreto de Celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliis quovomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo caveatur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributa elemosynæ prescripta fuerint.

Quæritur, an verba illa (prescripta fuerint) intelligenda sint de prescripçãoe factâ ob offerentem, vel ab Ordinario?

Tertiò,

Tertiò, an eadem Ordinarius prescripserit elemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneant Missas illis ab offerente prescriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui teneant Missas celebrare ratione Beneficii, seu capellæ, legati, vel salarii, possint etiam manuales elemosynam pro Missis votivis, ac defunctorum recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quintò, postò, quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla prescripçãoe elemosynæ: Quæritur, an liberum sit habere elemosynam sibi bene visam prescribere, an verò eandem elemosynam prescribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscipit Missam celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam elemosynarum portionem pro expensis maintenance Ecclesie, Altarium, inserventium, paramentorum, vini, hostiæ, & similibus?

Octavò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, que conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti, dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur elemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram elemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satis sit, ut dent celebrantibus elemosynam consuam?

Undecimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cetera statuitur in hæc verba (elemosynas verò manuales & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demum idem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi elemosynis, etiam sponte oblati, in futurum recipiendis, & capsulas auferant &c.

Quæritur an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas Missas ita, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid si offerens elemosynas audito impedimento consensiat, ut Sacerdos Missam celebret, eam primum potuerit?

Decimo tertio, an pena Interdicti, & alia opposita in eodem Decreto efficiant tam eos, qui accipiunt elemosynas contra formam sibi prescriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur.

Decimò quartò, an in hoc Decreto comprehendantur illa capsula, que apponi solent in Ecclesiis in die commemoracionis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (Casse de Morti.)

Decimo quinto, an Administratores Ecclesie magnæ devotionis, & concursus possint pro Missis celebrandis accipere elemosynas, si istædem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliis cultus Ecclesie, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimo sexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiis-

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

rum, & piorum locorum tam secularium, quàm regularium Superioribus, de quibus sit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehenduntur sub clausula generali (& aliis, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione?

Subsequuntur Declarationes, seu Responiones ad supra dicta Dubia.

Sacre Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à S. D. N. attributa ad singula dubia superius propoita, ad hunc modum respondit, videlicet,

Ad primum, est legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adendum, que absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit; verum tamen si in ipsa Beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut licet Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hæc de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de prescripçãoe facta ab eo, qui elemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens elemosynam numerum Missarum celebrandarum non prescripserit, tunc tot Missas, celebrari debere, quos prescripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provincie.

Ad Tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes quibus diebus teneant Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si elemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eandem Missam urique obligationi satisfacere.

Ad Quintum censuit, ubi nullam certam elemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo prescribendam elemosynam congruam, que respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum mores Civitatis, vel Provincie.

Ad Sextum, ita esse intelligenda.

Ad Septimum, respondit permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex elemosynis Missarum celebrandarum, ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi eam Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum eandem expensarum erogare licite possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, que pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeunda, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, que supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot prescriptæ fuerint ab offerentibus elemosynas.

Ad Octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti elemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provincie, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere absolute inteream elemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Undecimum, respondit, non prohibere absolute. Ac propterea, est oneribus jam susceptis non satisfecerit, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum, quamvis onera suscipere infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens elemosynam pro altarum Missarum celebratione sciit, & consensit, ut ille tunc etiam celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu elemosyna accipiatur pro istædem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis.

O o o

Ad

Ad Decimum tertium, has penas non habere locum, nisi in suscipiendis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimum quartum, comprehendit. Ad Decimum quintum, Non posse, nisi de consensu eorum, qui elemosinas tribuunt, ut supra in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimum sextum, comprehendit etiam privatos Sacerdotes.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

Quandoquidem Canones, & Capitula presentis Tituli penitus nihil continent, quod non ex professo, & exacte tractant Theologi tam Morales, quam Scholastici, idcirco ad eos benevolam Lectorem remittimus, qui etiam, si libet, de hac Materia videre potest, quae in Theologia nostra Morali Tr. 14. Dist. 3. diximus: si tamen quis materiam de Baptismo per SS. Canones probare vult, legat Dist. 4. de Consecratione, ubi per totum de hac materia agitur.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

- 1 Baptismus est janua aliorum Sacramentorum. Fundamentum ubi non est, superaedificari non potest. Ibid.
2 Sacramenta a non baptizato sacerdote collata, quae valeant, quae non. Et n. seq.
3 Error communis supplet potestatem Jurisdictionis, sed non Ordinis. Et n. praec.

Cum Baptismus sit janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, novae Legis ac proinde ante susceptionem Sacramenti Baptismi nullum suscipiatur Sacramentum (excepto Sacramento Eucharistiae) simulque, ubi fundamentum non est, superaedificari non potest, ut dicitur c. 3. h. t. ibidem, & c. 1. eod. habetur, quod non baptizatus ordinari non possit, etsi de facto sive bona, sive mala fide ordinetur, Ordinatio invalida sit, nec recipiatur Ordinis Character. Adeoque, si deprehendatur, Presbyterum aliquem non esse baptizatum, debet is necessario baptizari, & denuo per singulos Ordines promoveri, seu de novo ordinari.

Addit tamen Pontifex cit. c. 3. h. t. in fine, quod emergente quaestione, vel controversia, certe de illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos esse fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod si fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.

Quaeres, quid juris & consilii in casu, quo Sacerdos non baptizatus alii administrat Sacramenta? Resp. I. Sacramentum Baptismi a tali Sacerdote putativo collatum, & Matrimonium, cui assistit, valent. Communis. Ratio primae partis est, quia Baptismus a quovis etiam non baptizato habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, collatus valet, arg. can. a Quodam. 24. de Consecrat. dist. 4. Ratio secundae partis est, quia Sacramentum Matrimonii ipse Sacerdos non conficit, sed ei tantum assistit per modum excellentis testis. Hinc Sannig cum Communi

aliorum bene docet etiam valere Matrimonium, licet is, cui Parochus Matrimonio sui loco assistendi licentiam praebet, sit Laicus, si communi aestimatione & errore credatur Sacerdos, eo quod error communis suppleat jurisdictionem, l. Barbarius. 3. ff. de Offic. Prator.

Resp. II. Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, & Extreme Unctionis a Presbytero non baptizato confecta, invalida sunt. Rursus Communis. Ratio est, quia quamvis error communis suppleat defectum potestatis jurisdictionis l. Barbarius. 3. ff. de Offic. Prator. tamen non supplet potestatem ordinis, quae ad praefata Sacramenta conficienda requiritur, ut bene advertit Abbas in c. Apostolicam. 2. h. t. in fine. Pirhing h. t. n. 3. Engel h. t. n. 3. cum Communi. Nihilominus pie credendum est, Christum immo Sacramentum aliunde supplere effectus, quos alia vera Sacramenta in suscipientibus produxissent: dummodo rite dispositi ex parte sua quod requiritur, faciant, arg. c. 2. h. t. Ratio est, quia alias Ecclesiae innocenti magnum immineret periculum, quod Christus non permittit, ut post D. Thomam bene docet Sylvester 5. Baptismus. 6. n. 3. Barbosa in cit. c. 2. h. t. num. 2. & alii.

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiae, Christmatis, & aliorum Sacramentorum.

Pauca sunt, quae in hoc Titulo, duo tantum Capitula continent, statuantur. c. 1. statuitur, ut in cunctis Ecclesiis S. Christma (id est Oleum mixtum balsamo, benedictum ab Episcopo pro Confirmatione, ac Oleum simplex ab eodem Episcopo benedictum pro Sacramento Extreme Unctionis,) & Eucharistia sub fidelis custodia clavibus adhibitis diligenter conserventur, ac custodiantur, ne possit (ut ibidem dicitur) ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria (puta sacrilegia, artes magicas, superstitiones &c.) exercenda. Quod, si is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, vitiis mensibus ab officio suspendatur, & si per ejus incuriam aliquid nefarium contigerit, graviori subiacet ultioni; ut ibidem statuitur.

Deinde c. 2. eod. prohibetur, ne suppellectilia profana (sive propria Clericorum, sive aliena & Laicorum sint) in Ecclesiis admittantur, vel ponantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eos oporteat habere refugium. Ob quem textum Doctores cum Abbate communiter hic notant, quod urgente necessitate possint Tempia, & Ecclesiae etiam muniri, ac per milites defendi contra hostes; quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, c. 4. de R. J. Cessante autem necessitate cessare iterum debent, & ab Ecclesia amoveri ea; quae ibidem extra necessitatis casum licite esse non possunt ut cit. c. 2. h. t. habetur: ubi insuper severè praecipitur, ut Oratoria, Vasa Corporalia, Purificatoria, & reliqua Ecclesiae, ejusdem Ministrorum vestimenta munda, & nuda conserventur. Ratio subjungitur, nimis enim videtur absurdum, in Sacris fordes negligere, quae dederunt etiam in profanis. Quod urinam magis observarent quidam Parochi, quorum Ecclesiae, earumque Paramenta, & vestimenta subinde ita sunt constituta, ut aspicientibus quibusvis displicentiam, & Consecrationibus creent horrorem.

TITULUS

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

1 Ratio Ordinis.

Post habitam cognitionem de custodia Eucharistiae, Christianis, & veneratione Sacramentorum, merito sequitur Rubrica de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum. Circa materiam hujus Tituli (qui extat etiam in sexto, Clementinis, & Extravag. Comm.) habetur Decretum Concilii Tridentini Sess. 25. De Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus. Ac novissimè providentissimum Decretum Urbani VIII. quoad imagines, & miracula nondum Canonizatorum vel Beatificatorum &c. emanatum 1625. die 13. Martii, incipit Sanctissimus, & habetur Tom. 4. Bullarii Chirub. Constit. 39. dicti Pontificis, estque confirmatum in alia Constitutione ejusdem Pontificis, incipit Celsis Jerusalem, ac refertur in dicto Tom. 4. Constitut. 135. dicti Pontificis, unà cum Declaratione dictum Decretum mox sequente.

§. I.

De Veneratione, & Cultu Sanctorum, Beatorum, ac cum fama sanctitatis Defunctorum; atque de Canonizatione, & Beatificatione eorundem.

SUMMARIUM.

- 2 Sanctus quis sit, & dicatur?
3 Et quis Beatus?
4 Canonizari, & Beatificari quid?
5 Differentia inter utrumque.
6 Canonizare, & Beatificare solus Papa potest. Cause majores Ecclesiae reservatae sunt Papa. Ibid.
7 Canonizare olim poterant Episcopi.
8 Papa in Canonizatione Sanctorum non potest errare.
9 Ad eam requiruntur probitas vitae, & miracula.
10 Ante, & post mortem.
11 Exceptis Martyribus.
12 Canonizatio, & Beatificatio quomodo fiant?
13 Non tractatur de ea ante lapsam 40. annorum, nec finitur ante centum annos, post mortem Servi Dei.
14 Neque inchoatur ante instantiam Principum.
15 Episcopi possunt, & solent processum citius incipere.
16 Cultus alius publicus, alius privatus.
17 Sancti, ac Beati coli possunt cultu publico, & privato: quomodo?
18 Cum fama sanctitatis Defuncti coli, & invocari possunt cultu privato, sed non publico.
19 Constitutiones Urbani VIII. circa cultum talium & imagines, atque miracula, revelationisque eorum.
20 Deductiones praedictae, usque ad n. 24.
21 Miracula, & Revelationes cum fama sanctitatis defunctorum Typis mandare, quomodo prohibetur?

Quaeritur I. Quinam sint, & dici valeant Sancti? Item, quid sit Canonizatio, & Beatificatio, ac in quo differant? Resp. I. Quamvis in sensu largiori omnis ille sit, & dici valeat Sanctus, Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

qui in gratia sanctificante, seu habituali existit, praesertim si virtutibus, & perfectione splendet, juxta illud, qui Sanctus est, sanctificetur adhuc; Tamen regulariter loquendo, & proprie ad propositum Sanctus est, & dici potest omnis & solus ille, qui rite Canonizatus, id est, per Pontificem Albo, seu numero & catalogo aliorum Sanctorum publicè, solemniter, ac canonicè adscriptus, atque tanquam Sanctus declaratus, & definitus est, addito statuto, ut ab omnibus Christi Fidelibus pro tali habeatur. Fagnanus in c. 1. h. t. n. 2. & ibi Doctores communiter.

Resp. II. Pariter, licet in sensu largo vari sint, ac dicantur Beati, tamen proprie, & ad propositum loquendo Beatus est, & dici potest omnis & solus ille, qui ex speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel loco tanquam in Caelis existens, cultu aliquo publico v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Missae, expositione Reliquiarum ejusdem publicè, prout nempe, & quantum concedit Papa, coli & venerari valeat. Castro Palao p. 1. tr. 3. Disp. 1. pun. 5. §. 5. n. 1. Tanner. Tom. 3. Disp. 1. q. 4. n. 290. & seq. cum Communi.

Resp. III. Ex dictis manifestum est, quod Canonizatio, seu Canonizare aliud non sit, quam solemniter, & canonicè aliquem inscribere Albo, seu numero, & catalogo Sanctorum, atque autoritative declarare, & definire, eum existere in Caelis, simulque statuere, ut ab omnibus Christi Fidelibus pro Sancto habeatur. Beatificatio autem, seu Beatificare aliud non sit, quam rite ac legitime concedere alicui certo Regno, Provinciae, Religioni, vel loco facultatem, quod aliquis tanquam in caelis existens cultu publico, celebratione Missae v. g. recitatione Divini Officii &c. juxta determinationem concedentis venerari, ac invocari possit. Doctores citati, atque in re communis aliorum.

Ex his colligitur etiam differentia inter Sanctos, & Beatos, item inter Canonizationem, & Beatificationem. Nam in Canonizatione praecipitur & statuitur, ut Canonizatus ab omnibus Christi Fidelibus pro Sancto habeatur, & coli possit quovis cultu publico. In Beatificatione verò tantum conceditur, non autem praecipitur, ut aliquis cultu aliquo per Pontificem determinato, & quidem non à toto mundo Christiano, sed tantum a certo v. g. Regno, Provincia, loco, Religione &c. coli valeat, quamvis ceteroquin pro Beato, & in Caelis existenti haberi & credi debeat, juxta dicenda infra.

Quaeritur II. An solus Papa Canonizare, & Beatificare possit? Item, an in Sanctorum Canonizatione, vel Beatificatione errare possit? Resp. De facto solus Papa potest aliquem Canonizare, vel Beatificare. Fagnanus in c. 1. h. t. n. 20. & ibi Barbosa n. 3. Innocentius n. 2. Abbas, Joan. Andreas, & DD. omnes, arguit. c. 1. h. t. ibi: Cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque autoritate Ecclesiae Romanae venerari. Ratio est, quia Majores causas Ecclesiae, qualis procul dubio est Canonizatio Sanctorum, referendae sunt ad Sedem Apostolicam, c. 3. prin. de Baptisma. eique specialiter reservatur, c. 4. de Offic. legat. Plures alias rationes vide apud Hostiensium in cit. c. 1. h. t. & ibi Fagnanus n. 27. & Glossa in c. un. eod. in 6. v. Sedis Apostolicae. Inferius proin, quod Episcopus etiam pro sua Dioecesi nullum possit Canonizare. Imò Canonizandi potestas nec Concilio Generali absque autoritate Romani Pontificis competat, secundum Barbofam, quem sequitur Pirhing h. t. n. 3. & alii.

Dicitur de falso, quia antiquitus ante introductionem solemnem, qui nunc servatur, ritus Canonizandi, 7 plures Sancti post felicem eorum obitum, communi sensu largiori omnis ille sit, & dici valeat Sanctus, Episcoporum, & Populorum consensu declarabantur. Ooo 2 &